Opuscula

# SPLENDOR
Virtutum & Scientiarum
*E*
CÆLO RELIGIONIS SERAPHICÆ
*In*
Orbem Christianum
REFLEXUS.
# DIVUS
# BONAVENTURA,
# DOCTOR
SERAPHICVS,
*S. R. E. CARDINALIS,*
ARCHIEPISCOPVS ALBANENSIS,
Anniversariâ Solennitatis Suæ Die,
Ad Sacram D. FRANCISCI Basilicam
*Celeberrimi Conventûs Cracoviensis.*
*A*

M. ANDREA IOSEPHO
ZAIFFRET.
In Alma Vniversitate Crac: Philosophiæ Doctore & Professore.

*ORATORIO STYLO*
# DEMONSTRATUS.
Anno Lucis increatæ MDCCXXV. Die XIV. Iulij.

CRACOVIÆ Typis Iacobi Matyaszkiewicz S. R. M. Typogr:

# IN STEMMA
*Perillustris & Reverendissimi*
*DOMINI.*



CZVLSCIA cur Phæbe fulget cum sidere juncta?
Monstrat: quod careat nubibus ista DOMVS.
Æmula, cùm, Phæbo, nativo lumine claret.
Auroræ partes; hoc sibi sidus habet.

*PERILLUSTRI.*
*&*
REVERENDISSIMO
DOMINO
# D. LAURENTIO CZULSKI.
*V. I. DOCTORI.*
Ecclesiæ Cathedralis Chełmensis CANONICO PRÆPOSITO RATHINENSI.

Mæcenati Amplissimo.

*SPlendorem virtutum & scientiarum è Seraphico Cælo in Orbem Christianum reflexum BONAVENTURAM D: quod Tuis adjungo Astris, non mirare.* Perillustris & Reverendissime Domine. *Novi-*

*mus etenim virtutem unitam fortiorem esse, pretium pretio adjunctum majoris æstimari. Splendidus ex sua natura adamàs, cultiori tamen insertus metallo splendidior manet. Ex auro puro excuduntur Regum Coronæ; attamen illis gemmæ inseruntur; ut clarius Regio impositæ capiti emineant. Tyriò purpurascentes ostrô dybaphæ; ornant sat perbellè Principum lacertos, torques tamen illis aurei; crucesq; gemmeæ adjunguntur in majoris augmentum fulgoris. Primæ magnitudinis sidus BONAVENTVRA Tuæ Gentilitiæ admotus Cynthiæ; majores elucescent splendores. Vt Sol sine corusco radio, ita Luna Tua domestica sine lumine non existit. Phæbum ipsum quod æmuletur, sidus eam præcurpens attestetur. Auroram agit.; quod semper æquali lumine cum Sole splendescat; demonstrat. In plenilunio duntaxat refulget, nunquàm decrescens observata. Extincta est vita.* Illustrissimi & Reverendissimi D. CONSTANTINI. VALENTINI· CZVLSKI. Episcopi Claudiopolitani, Archidiaconi, Suffraganei; Vicarij in Spiritualibus, & Officialis Generalis Chełmensis

*Pa·*

*Patrui Tui dilectissimi, de Ecclesia meritissimi, sed tamen vel ipsæ sepulchrales umbræ illi gloriæ meridiem accendunt. Hiabat ejus Infula, non ut opes colligeret; sed ut Almis Superis pro Diœcesaneis suis se ostenderet perorantem. Archidiaconatus Ejus ipse conatus fuerat bonum Patriæ procurare. A suffragando quodsi Suffraganeus dictus; inopibus de suis opibus & beneficijs suffragari solebat. Officialis posterorum ad imitationem gravis officij munus adimplebat. Post fata sua inevitabilia replevit dolore ingenti Sponsam suam Ecclesiam, replevit & sibi addictissimos.* Celsissimus Princeps Illustrissimus & Reverendissimus D. CHRISTOPHORUS in Słupow SZEMBEK Episcopus Varmiensis *à quo pontificià vittà adornabatur, magni doloris agnovit sensum. Rodit saucius viscera dolor* Illustrissimi ac Reverendissimi D. ALEXANDRI ANTONII FREDRO Episcopi Præmysliensis *cujus animæ dimidium erat, & toti gratissimus cordi. Tangit mæror irrevocabilis* Perillustrem & Reverendisimum Dominum Magistrum BASILIUM PLASZCZEWSKI

S. Th. Doctorem & Professorem Canonicũ Cathedralem Cracoviensem Almæ Universitatis Crac.; Seniorem Patrem & *quo propinquiori affinitate jungitur, eò magis fata Præsulis dolet, eumque vivere facit Magnus BASILIUS in Regno literario meritis, ætate senili sibi facit revirescere honores, si illos acceptaret. Unio trium Vavelli Coronarum inæstimabilis, pretio virtutum suarum & meritorum omnem æstimationem adæquat. Scientiarum compendium est in pectore ejus Aquinaticus Tytan sibi pridem stationem elegit. Caput Ejus nidus est eruditarum mentium ex quo non una Minerva in Orbem Academicum evolavit. Continuatur firmiter Præsulis olim Illustrissimi laus, cum fama perenni in STANISLAO CZULSKI magnifico Parente Tuo Germano suo dignissimo. Lustrant alij exoticos Soles raro Lucij sæpiùs tenebriones revertuntur. Ille à Gentilitia sua Cynthia satis splendoris habet Vir magnarum cogitationum, Cælestium Contemplator gravior meritis, quam annis. Quidquid virtutum est in Magnifico Parente Tuo; quidquid in Tuis ma-*

*is magnis Antecessoribus refulget; hoc totum in compendio tenes* Perillustris & Reverendissime Domine, *à lacte statim factus es magnorum Candidatus honorum. Literarum tractabas studia; quæ Tibi ad ulterioris vitæ tractum, & ad honores altiores subservirent. Ad accensam Cleanthis lucernam, noctes in dies convertebas, & Scholastico Phæbo illustribus dignitatum titulis præludebas. Vidit Iagellonica Pallas Tuæ excellentiam mentis, & mirata quod nulla difficultas dari poterat, quæ Tibi non facilis esset. Collegisti omnes ex Euripo Philosophico eruditionis gemmas, quibus alios discere facis, quoties eruditos loqueris sensus. Theologica scientiarum arcana aliis occulta; Tibi ad Thomisticum Solem evidentia patuere. Auxisti Cynthiæ Tuæ splendorem Aquinatico Phæbo ut etiam aliorum tenebriones animos illustrares. Plura scivisti quam alij discere possunt, sive privato sive publico incumbebas*

*studio utroq; semper gloriosus. Praecellentes ingenij dotes & qualitates, ad Astreae contulisti bilancem, ut pondus earum majus haberes aestimaretur. A Regia Pallade Cracoviensi solenni plausu V. I. creatus Doctor non ex nihilo meritorum. Docta Tua tempora cingi debueras lauru, quae in Olympijs scientiarum continuò sudabant. Inumbrata frons Tua Doctorali corymbo, illustriores honorum titulos ad se provocavit. Egisti vigilem circa animas fidelium in Pełczyska Pastorem; mox aliae dignitates tuis meritis advigilare visae. Ad Canonicatum Chełmensem prodromavit Tibi gratia* Illustrissimi olim Episcopi Claudiopolitani Patrui Tui, *sed magis magnae Tuae prodromarunt virtutes. Felix Cathedra Chełmensis, quod damna fatis Patrui Tui causata per Te sibi videat reparari. Ornat Te Canonicatus, & ex Te maximum habet ornamentum. Quidquid dicis gemmeum est; Delphici Tripodis oraculum appellandum. In Sacris exedris*

*Peri-*

*Pericles esse crederis, audientium animos delectas dulci facundia; in vitia semper fulminando. Præposituræ Rathynensi ita præes, ut illi prodesse omni meliori studeas modo. Centoculum peragis Argum, ut sub Tua Pastorali vigilantia omnibus ad Tuam spectantibus curam, adsit securitas omnis. Brevis est pagella hæc* Perillustris & Reverendissime Domine *ut possit capere merita Tua & virtutes quæ sibi volumina & fastos poscunt. Functiones Tuæ quas exasse pro bono Ecclesiæ peragis non exilem svadam sed Tullios requirunt, imò nec hos habere volunt. Mavis enim laudando agere, quam laudari, Quare laudibus Tuis impar, in solam nominis Tui desino venerationem. BONAVENTURAM Doctorem Seraphicum, Tibi eximio dedico Doctori. Ignibus ille Seraphicis non obruet, sed augebit tuæ splendorem Lunæ, ut in plenilunio honorum Sarmatico affulgeat orbi, ducatque* PE-

RILLVSTRIS & REVERENDISSIMA DOMINATIO *longævos sine nube dies Clientali pectore precor.*

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ.

Profundissimus Cultor & Servus.

M. ANDREAS IOSEPHVS ZAIFFRET P. D.

# ORATIO.

STupendum dexteræ Divinæ opus, universum qualatepatet Orbem, dumquotidie lynce insequimur pupillâ, sine omni à rebus sublunaribus derivato splendore tenebrionem appellare possumus AA. Coruscant etenim illustria ejus decora, explicant micantes radiorum suorum lineas, quibus possit illustrari, nullius tamen veri luminis fulgorem repræsentat. Immundus est, licet Mundus dicatur, pellucidæ virtutum diaphanitati, contrarius valdè. Spargunt suum sidera lumen; micat fulgoribus igniferis æthèr, qui vix ponderibus suis libratam attingunt tellurem, mox inter occultata nemorum spelæa, inter scarrosos rugosorum montium colles, inter vasto profundas hiatu scatebras, absorbentur.

Conjuravit Vesuvius cum Trinacrio monte, prorumpit uterq; atram ad æthera nubem, fumantem turbine & favilla candente, tonat uterq; horrificis mundo ruinis, attollit flammarum globos tangendo sidera, interdū Scopulos & avulsa terræ viscera eructando, conglomerat cum gemitu saxa liquefacta sub auras, usq; imô exæstuat fundô. Obruit inclyta Tonantis palatia, ut Orbis tenebrio appareret. Sævit in mundum tempus edax rerum, minuit ejus decora damnosa hora, quid non longa dies? quid non consumunt anni currentes? Quidquid laboriosa artificum fabricavit dextera ad splendorem vniversi, id totum longinqua vetustas, subposuit doloso cineri, Trojanis favillis adæquavit. Totius Asiæ plus quam ducentorum annorum opus Ephesinæ Dianæ Fanum centum viginti septem singulorum Regum illustratum columnis, ab uno Herostrato factum profanum devastatum. Eminebant in Iovis Ammonis templo centum aræ locatæ, ardebant sacrati ignes, excubiæ Divûm æternæ stabant. Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæq; ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis, hæc stridens contrivit aquilone procella. Cessit omnis labor Cæ-

ſareo amphiteatro, unum pro cunctis quod fama narrabat opus, jampremitur ſilentio alto. Erexerat ſemiramis Vrbem Babylona, miſerat duos inadverſum permænia currus, nec poterant tacto ab axe conſtringere latus. Struxerat excelſas Memphis columnas, attamen ut non jactat ærefuſos Babylonia muros, ita nec Memphi Pyramidum ſua miracula conceſsum prædicare. Ad ortum & occaſum ſpargens radios dives Mauſoli ſepulchrū, ſibi factum eſt ſepulchrum. Lucentem in Pharo Inſula Ptolomæi turrim, e mari adquod ſtabat extinxerunt undæ, & letheo oblivionis fonti invexerunt. Nec Ægypticæ Pyramidis ſumptus ex Arabico conglobatæ lapillo ad ſidera evecti, nec Iovis Ælei domus, excelſas Cælorum ſedes imitata. Æmula ſiderei Olympi Babylonica turris muro munita, tenaci plusquam triſulco Tonantis fulmine tacta, caſu cecidit graviore. Trecentis propugnaculis centum æreis portis ſtabant immotæ Thebæ, mox hiſce obrutæ, in ſpes meliores non ſurrexerunt. Clariori loquar emphaſi, quotquot decora, eorumqꝫ ſplendores mortalium induſtria effecit, omnes vero lumine carent. Quare exeſte hinc deformia

mundi decora, exeste! quorum tremulus fulgor cum fatuis meteororũ disparet ignibus. Veriora conspicio augusti fastigia tecti, Domũ sublimibus altã columnis, Religionẽ Seraphicã Francisci. Excedit hæc pensiles in aere semiramidis hortos, septem miracula orbis & auream Neronis domum excedit. Ruunt cætera orbis decora, sola hæc cum tempore intercidere nequit. Tenebrescunt mundani nitores, semper fumantes tædas, nunquã Phæbum æmulantur serenum. Sola seraphica Religio, non immeritò Cælum interris nominanda, cujus illustria decora ita refulgẽt, ut nulla succedanei temporis nube obruantur. Coruscat hic FRANCISCVS seraphico amoris igne, micat ANTONIVS hypostatico unione, & lilio intaminati candoris decoratus, quorum virtutum nitores in mundum Christianum derivantur. Dum vibro altius mentis cæcutientem pupillam, Bonaventuram D. primæ magnitudinis Sidus adverto lucidissimum. Tota vita illius fons luminis est inexhaustus, Doctoralis animus, augusta dignitatum majestas, caput ei aurum purissimum est, oculi adamantina pellucidi claritate, totus Doctor D. Sanctitate coruscus. Serenitas illa vir-

tutis ejus & Sapientiæ, quam Princeps Vrbium Roma, majorem quàm a trino quondam perceperat ſole, non tantùm in Romanam Eccleſiam, verùm etiam in cunctos Mundi angulos diffuſa obſervatur. Tantis ergo decoratum dotibus & vitæ Sanctimoniâ, Bonaventuram D. Splendorem virtutum & Scientiarum e Seraphico Religionis Cælo in orbem Chriſtianum reflexum umbratili dictionis ſvada venerabor. Illuminent virtutum & ſcientiarum tuarum radij umbratilem dicendi facundiam Doctor D. ne tenebrio animus, ad tuum cæcutiat ſplendorem. Serenam frontem veſtram ad ſplendorem Bonaventuram non dubito mihi affulſuram, quam expoſco.

Flammigera coruſcum luce ſplendorem ſibi virtus & Sapientia efficiunt, utriusq; cultores fulgoris decorem augent, & orbi allucent Vniverſo. A.*A: Cara Deorũ ſoboles virtus, non ſuum genus a Cæſare, aut a Graccho, non ab Inacho ducit, ſed tota lumine ſuo radiat inextincto. Apelles, ejus formam elegantem ſuo depingit penicillô, a ſpectu ſublimi & formidabili generoſam exponit. Armata undiq; corpus ſudans in ſe-

rena facie gerit, clarior ipso Phæbo dicenda. Frontis luminibus, Cæli sidera æmulatur. In summo montis culmine residens, omnibus terrenis prominet. Nititur virenti frugiferâ palmâ, dextrâq; elatâ Polum tangit, ac sidera celsa. Immota persistit victrici caput redimita lauru; de toto ejus corpore eximius resplendet nitor. In suis manibus omnes honorum splendores repræsentat. Sane virtus, ipsa sibi stellatum firmamentum est, merces, uberrima messis & fructus. Ipsa pretium se majus in orbe nescit, nec majora sibi stipendia poscit, quam se ipsam. In se convertitur una, in se totum reperit, quod vasto clauditur Vniverso. Illi cedunt Thessala tempe, Elysij campi, & fortunata vireta cedunt. Ipsa manet vicina Polo, & altis contermina astris. Labor ejus prima atria, & tecti penetralia, in domûs extrema parte locatur honor promeritis tribuendus. Vitæ humanæ prodroma est, atq; magistra peritissima. Germana virtutis soror Divorum sangvine nata Sapientia, dum suâ progreditúr viâ, adeste lynces mortaliúm pupillæ adeste! Splendidum ejus apparatum adorate. Incedit lacero amictu ve

stita

ſtitæ, antiquis Philoſophorum nobilitata privilegijs Sapientia. Cur ei veſtis vilis & lacera? opes contemnit caducas. Cur vultum geminat ſerenum? tempus notat utrumq; ſibi famulari. Quid tam durô edocet frænô? veſanos mentis furores cohibere. Cur libros digeſtos geſtat? res illi gratiſsima labor. Cur volucris Scriptorijs ornata pennis? docet tandem ſuper aſtra evolare. Cur diram ſuo premit calcaneo mortem? quod ſola mori neſciat; demonſtratur. Magna omninò virtutis, & Sapientiæ claritas, ſed major longe dum in ſuis Cultoribus relucet. Auxit decorem fortitudinis Hercules, in quo illa ad ſtuporem vsq; eminebat. Ampliavit dexteritatem Achilles, amorem in Patriam Curtius, pietatem in Parentes Æneas, totq; alij ſemidei Heroes, clarum virtutis nomen, magis clarere fecerunt. Summus Ariſtoteles altam Sapientiam altiùs tulit; Divinus Plato in terris Cæleſtem reddidit, & maxima circumfuſam claritate. Meritò magni Viri virtutum & ſcientiarum Splendores appellandi. Talem ſplendorem qui exambit videre? in Cælum Seraphicum venerabundam attollat, pupillam, & D. Bonaventuram

 vene-

veneretur. Hetruria ejus natale ſolum virtutum adoravit Solem, nec dum natus, jam à ſuis ſplendoribus cuivis notus. Balneoregium præclara Civitas, ex maturo Infante lucis prima utente portione, omnia ventura bona non ſperavit, ſed vidit. Maturus Infans orbi dubiũ infert, Cælum ne in illo an ille in Cælo emineat? Puſionis vernant in labris roſæ, ex genis promicant ſtellæ, oculi magna luminaria dicendi. Lumine fidei illuſtratus, Sacro baptiſmi lavatus fonte, ſtatim virtutum enituit ſplendor. Lacerat in cunis Hercules ſerpentes, vir Lernæas hydras, Erymantheos apros diſrupturus; Bonaventura D. non jam virtuoſus, ſed ipſa virtus vitiorum colubros in viridi rumpit, in arido infernalem Mæduſam devicturus. In ejus cunis renata Parentum fauſtitas, & Religio. Quibus faſcijs membra ejus ſtringuntur tenella; ijsdem ligatur in omne nefas effrenata mundi diſsolutio. Virtus ei nutricem agit, moxꝗ illum lacte ſuo honorum omnium reddit candidatum. Pro crepundijs puerilibus virentem porrigit infanti palmam cui innititur ſola, ut eâdem magnæ ſpei indoles fulciatur, in ſplendorem mundi evaſura. Ecunarum

rum evolutus faſcijs, mox de virtute in virtutem progreditur Celerinus. Puſio corpore, jam mente Gigas Polum tangit, non ut expugnet, ſed ut in Apogæo maturitatis appareat conſtitutus. Erumpunt in gaudia Parentes, quod eorum filius portio magna Cæli in annos creſcit juveniles, ſolius Mundi ſaucius rodit viſcera dolor, quod vitijs decreſcat. Tantâ Sanctimoniâ vitæ offenditur Mundus immundus, BONAVENTVRÆ mala ventura meditatur. Quid agis Munde? ſplendor BONAVENTVRA extingvi non poteſt. Inſanus es? dum Bonaventuræ ſanitatem vexare intendis. Morbum patitur, innocens pænâ afficitur, ſecretus commovetur, non his tamen nebulis obruitur BONAVENTVRA, quia voto Parentis FRANCISCO Patriarchæ offertur. Inter Cæli Seraphici locandus aſtra, ſplendidior apparebit. Vix ſtudijs navat operam BONAVENTVRA, mox rudimenta literarum ab eo cultiora evadunt, Prius caſibus Grammaticis incubuit, ne in altum ſcientiarum ſubitò elevatus, caſum ſubiret graviorem, Scholaſtico admotus Phæbo, ſplendor ſcientiarum dicendus. In bicollem Parnaſſi montem

ſuis alacritatis non Pegaſeis eluctatur alis, ut tandem ex monte Alverni ſiderea Olympi palatia poſsit ſecurius advolare. Tam Tulliana tranavit feliciter flumina, quàm Ariſtotelis Euryppum ubique glorioſus. Sed virtutum & Scientiarum ſplendor ut emineat, a Ritela FRANCISCO redditur ſub tutelam, ad Seraphicos ignes inextinctam lucem habiturus. Iam ne Doctor D. lucem meritorum tuorum Religioſis conteges umbris? jam ne virtutum nitorem nigricanti habitu obvelabis? Novit BONAVENTVRA fallaciam Mundi, quem honorat onerat, cui ſervit deſerit, quem amat hamat, quem non odit dente rodit acuto, quem illuſtrat, adurit & obfuſcat, quem evehit deprimit ejus ſplendor tenebræ, ejus favor, furor, ejus felicitas infelicitas magna. Quid quid Mundus oſtendit, pomum Gomorhæum eſt, foris nitet, intus cineres fovet. Coruſcat BONAVENTVRA D. non tamen ad opacum Mundi corpus potuit reſplendere, in Cælo Seraphico ſibi ſphæram elegit. Vtique oppoſita penes ſe poſita magis elucescunt, dotes ſole clariores BONAVENTVRÆ; ad nigricantem FRANCI-

SCI

SCI fimbriam melius apparent. Optimus Obſervator Minorum Regulæ BONAVENTVRA, verum ſe Minoritam demonſtrat, ſemper in humili de ſe ſenſu fundatus. A ſynaxi Sacratiſsima abſtinet, Soli myſtico jungi: reformidat, ne ſplendor creatus increata luce obruatur. Sed quid agis BONAVENTVRA? ſplendor es, a ſole lucem mutuari teneris. Itaque Iuſtitiæ Solem in Sphæra Panis Euchariſtici præſentem Intelligentia Cæleſtis Angelus admovet BONAVENTVRÆ, & Illum virtutum ſplendorem efficit inextinctum. Sub Alexandro de Ales tam reſplenduit doctrinâ, ut ex nido ſcientiarum ab alite ſibi connexo generoſus pullus ad ſolem juſtitiæ evolaret. Plus profecit ſub illo, quam ſub Ariſtotele Alexander, dum ſupra magiſtrum diſcipulus evaſit. Coruſcus virtutum & ſcientiarum ſplendor BONAVENTVRA non ſibi tantum lucet, ſed Orbi Chriſtiano. Hoc enim innatum ſplendoribus eſt, ut ſuis radijs aliquod illuminent corpus. Volvit inexhauſto rede-untia ſæcula motu auricomus Tytan, ſed ſimul totum illuminat vniverſum. Solidi Cælorum poſtes, quod fulgentibus aſtris deco-

rati in cuncta influunt sublunaria. Triregio Papalia coronantur capita, ut plurimæ gemmæ coruscantes, centoculum Argum Orbis universas lustrantem partes, demonstrarent. Rotundi Cardinalibus conferuntur Galeri; non ut eorum sola capita vestiantur, sed ut alijs vertantur in asyla. Circulares Regũ excuduntur coronæ, non ut semper inhæreant capiti, sed ut ad Reip: utilitatem sæpius moveantur. Cum ore quodammodo hianti Episcoporum conijciuntur Infulæ, ut quotidie Cælum versus erectæ, pro suis perorent Diæcesibus. Dantur pallia Archiepiscopis, ut ijsdem pupillorum Regni contegant nuditatem. Non sceptra certe Regia sunt, quæ in crucem posita, cruciatum causant subditis non victoriã. Non purpura, quæ in Senatu erubescit pro bono publico eminere. Non Mareschalcalis Scipio est, qui suæ fortunæ colossus, alienæ flexibilis arundo. Non sigillum, quod sua auro turgentia obsigillat scrinia, non Regni thesauri universos. BONAVENTVRA & ipso nomine bonus se ipsum communicat Vniverso. Septem annis ab ingressu Religionis tractavit Theologica studia, quibus elapsis con-

ſono Patrum judicio in Magiſtrum electus, plura docuit quam didicit. Dum errores evolvebat difficultatum confundebat labyrinthos. Vt Oceanus hauſta refundebat flumina, ut ſpeculum lumen acceptum emittebat, ut Nilus plus quam ſeptem oſtijs ſcientiarum totum Orbem alluebat. Librum ſcientiarum cum magno conatu explicavit, de omnibus bene, malè de nullo ſentire docens. Quotquot ſententias laborioſa expreſſerat manu, tot radijs Orbi Chriſtiano è Seraphico Religionis Cælo allucebat. Pariſienſis Gymnaſij per Triennium Regens, ſcientias & virtutes ad aliorum uſum perfectionari faciebat. Eruditiſſimus Regens nullius recuſabat utilitati ſervire. Quoties explicavit implicata, toties profundos in minimis, planiſſimos in profundis, certos indubijs reddebat animos Auditoris. Gordios ſcientiarum nodos non tam Alexandri ſui Profeſſoris gladiô, quàm ſuæ mentis acumine reſecabat. Quam lectionem diviſam in ſpecie legit, in una genus omnium difficultatum enodaverat. Tanta clareſcens ſcientiarum luce, decimotertio anno ab ingreſſu ſuo Religionis in cruce decadis omnis



igno-

ignorantiæ victor, in trino numero perfectissimus, omnium concordibus votis Generalis Magister ConventuumReligionis Franciscanæ promulgatur. Narbonensis Capituli Præses omnibus præfuit consiliô & Sapientiâ. Quidquid dixit, ipsi immortales fasti aperti concurrebant, ut scribatur. Tantâ eminentiâ mentis, tantis radijs virtutum & scientiarum coruscus splendor Doctor Divinissimus in Orbem Christianum luce sua reflectebatur. Vidit tam maximum splendorem BONAVENTVRAM Clemens quartus Pontifex maximus, & sine umbra honorum noluit esse. Eruditam ejus frontem omnium honorum & onerum capacem judicabat. Vnde Eboriensis Archiepiscopatus vitta vincire voluit BONAVENTVRAM, sed fugit honorem se quærentem Doctor Divinissimus, non ut onus, sed ut præeminentiam. Firmus in suo proposito ab humili FRANCISCI pauperie non recedit, ne sub pallio palleat, ne in Mundo Infulâ caput ejus redimitum fulgeat, e solo Seraphico Cælo petit Orbi allucere. Scientijs & virtutibus fulgere mavult, quam honoribus. Genesis primum librum Parisijs de

septem

ſeptem viſionibus intitulavit, quot illi a-
ſteriſcos inſcripſit, tot in illo fecit nitere
ſoles. Sententiarum libros ſui laboris com-
mentarijs illuſtravit, ut perfectius ignoran-
tiæ tenebris involutas mortalium mentes
ſerenaret. Officium de Cruce Sacratiſſima
vel ideo componere officium ſibi aſſigna-
vit, ut tanto opere partis adverſæ tenebras
de Mundo Chriſtiano propulſaret. Sera-
phicus Doctor eſt, ſex Seraphinorum amo-
ris explicavit flammas, ut & ipſe amore i-
gneo Cælum citius advolaret. In monte Al-
verni myſtico proximus Soli, tam Seraphi-
co ardebat amore, cum meditationes de
Paſſione CHRISTI libello expreſſerat. Il-
lud opus arbor iuremeritò vocavit, ut ſub
arboris umbra clariús orbi alluceret. Ve-
rum cenſes ne Doctor Diviniſſime, quod
ſub hac arbore te honores eminentiſſimi la-
tebunt? minimé: honor utique ſequaces
fugit, fugientes ſequitur. Splendes virtutibus
& meritis in Cælo Seraphico, ut etiam in
ſphæra Cardinalitij refulgeas honoris, eſt
neceſſe. Tibi Galerus conferendus, ut Tuo
capiti annexus, Orbi extet tegumentum.
Quocunque jeris, te pallium comitetur,

ut eo inopiam Mundi contegas, ipſeque ni. tidior extes, Sed heu dolor! heu nefas! heu infelices mortalium vices! nullus ſplendor eſt, quem ſua non ſequatur caligo. Alternô redeunt horô lux & tenebræ, dies nocte, nox die truditur Illuſtriſſimus Princeps Planetarum Phæbus, nunc in Apogæo, nunc în Perigæo obſervatur, nunc clarus, mox atra obvolvitur nube. Illuſtres honorum tituli tenebreſcunt, palleſcunt Purpuræ, excelſæ deprimuntur majeſtates. Stetit in ſummo honorum culmine BONAVENTVRA, paulopoſt tenebrosîs fatorum circumdatur umbrîs, ſplendor forſitan virtutum & ſcientiarum è Seraphico Religionis Cælo inMundũ Chriſtianũ reflexus deſinet nominari: minime vel ideo è Seraphico transfertur Cælo in Empyreum, clarius fulſurus. Solis die occidit BONAVENTVRA, cum ſole in Zodiacum Sanctimoniæ ſuper Orbem oriturus. Affixus Cælo BONAVENTVRA Diviniſſimus, non tamen in Mundum Chriſtianum influere ceſsat. Arida Sacra Lypſana ejus, in Rogũ Triumphalem Orbi accenduntur. Ipſe totus in Lugdunenſi FRANCISCI locatur Eccleſia, ut illam

illus-

illuſtret, vel dum FRANCISCVS Orbi ſuum non reliquerit corpus, in locum ſuum BONAVENTVRÆ ſubminiſtret. Bene eſt Seraphice Pater, parem Tuo muneri Atlantem reliquiſti. Cæci vident, claudi incedunt, errantes directe pergunt, quibus BONAVENTVRA poſt fata ſuperſtes manuductricem agit Cynoſurã. Caput ejus, quot adhuc crines gerit, tot Sapientiæ & virtutum radijs coruſcat, umbris ſepulchralibus intactum. Ampliùs tremula Oratoris pupilla reformidat BONAVENTVRAM ſplendorem intueri, tanto vehemente ſenſibili ne lædatur. Vobis hinc Panegyris magna Patres Religioſiſſimi, Sacratiſſimam Religionem veſtram Cælum Seraphicum videt orbis & adorat. Influunt in illum veſtra nobilia aſtra, influxit coruſcus ſplendor BONAVENTVRA Diviniſſimus, eundem virtutum & ſcientiarum radijs illuſtravit. Perſeveres ergo in ejusmodi motu, adverſis tamen fatorum caſibus non movende Sacratiſſime Ordo. Lætare tenebrio Munde, quod ſplendor in te reflexvs BONAVENTVRA, tuas tenebras, virtutum & ſcientiarum radijs ſoleat

 diſſi-

dissipare. Doctor Divinissime umbrosum etiam Academi Cracij lucum tua illumina luce, omnis sortis adversæ tenebras ab illo propulsando, sic splendor virtutum & scientiarum è Cælo Seraphicæ Religionis in Orbem Christianum reflexus nosceris, ut hactenus

D I X I.

